



Disputatio medica inauguralis continens varias, ex singulis medicinae partibus desumptas, positiones

<https://hdl.handle.net/1874/341837>

9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
CONTINENS

Varias , ex singulis Medicinæ partibus
desumptas , positiones.

QVAM

SUMMO FAVENTE NUMINE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris , ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii , & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicici Consensu , & Alma

Facultatis MEDICÆ Decreto ,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in scientia MEDICA Honoribus , & Privilegiis

ritè , & legitime consequendis ,

Publicæ disquisitioni Examinandam exponit

HENRICUS REINERS, ZWOLLANUS.

Ad diem 7. Junii , loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc Ioc LXXXVI.

*Plurimum Venerandis, Exercitatissimis, doctrinā, morum-
que integritate conspicuis VIRIS.*

D. WOLTERO CONRADI,

Apud Campenses dispensatori Mysteriorum Divinorum fidelissimo, di-
sertissimo, nec non in Lingua Sancta versatissimo.

D. MARTINO REINERS,

D. JOHANNI REINERS,

Illi insigni doctrinā pietateque exculto, S. S. Theologiae Candidato. Huic
apud Zwollanos Mercatori solertissimo, vigilantissimo.

D. THEODORO HENRICO PIETSCH,

Medicinæ Lingæ Doctori peritissimo, in rebus chymicis versatissimo,
per affinitatem Fratri, nunquam non honorando.

UT ET

Pietate Spectato VIRO

D. LAURENTIO de LANGE,

Lugduni Batavorum Ovium Christi Pastori vigilantissimo, non solum
mirâ elegantis Sermonis facundiâ desertissimo, verum etiam Theologo pio,
profunde ac solide docto, Amico suo familiarissimo, omni honoris ge-
nere, mihi in perpetuum prosequendo.

NEC NON

*Excellentissimis, omni disciplinarum & artium genere cultissimis, mo-
rumque venustate & prestantia pollutissimis Viris juvenibus*

D. JOHANNI WICHERLINCK,

D. CASPARO LANGENHERT,

Illi J. U. D. Huic
L. A. M. ut & Phi-
losophiae Doctori
acutissimo, propter in me collata multa beneficia, omni honoris, & ob-
servantiæ cultu, semper excipiendis.

*Inaugurales hasce pagellas in debite obser-
vantia signum*

D. D. D.

HENRICUS REINERS,

Auctor.

PROOEMIUM.

Lectori Candido.

S.



Arias Meditabar Benevole Lector materias, ex quibus mihi aliquam felicerem, satisfactorius legibus Academicis, diu an- ceps animi h[ab]e[re], quamnam ex morborum numero publico examini subjicerem. Cum autem ab aliquot jam retro annis, quibus in Academia Lugdunensi degi, studiorum ergo, omnes ex praeципuis ventilatae sint ma- teriae, quas non lubenter repererem, ma- lim enim nomen meum inglorido extingui Fato, quam laudem mili- ullam alienis laboribus comparari. Inclaruerat jampridem condic- cipulis meis, me pro Inaugurali disputatione mea conscripturum de natura febrium intermittentium continuarumque; sed uti opus hoc laboris esset immensi, ita certe invidie plenissimum foret, si mihi ju- veni tanti ponderis opus aggredienti, cruda quedam excidissent; itaque persuasu **VIRI** Incomparabilis isthoc ab opere destituti, progressus simpliciter per positiones ex quibusvis Medicina partibus desumptas, non verborum sententiarumque lenocinio exornatas, (qua in re me ne mediocriter quidem versatum esse probe scio) verum adres potius spe- Etantes. Ut autem plus aequo mea non exorbitet prefatio, ne ipso porticus adficio major evadar, quod ab arrogantia labe non valde re- motum esset, hisce finem faciam vale.

A 2 vnoq[ue] , DISPU-

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,
C O N T I N E N S

Varias, ex singulis Medicina parti-
bus desumptas positiones.

DE MEDICINA IN GENERE PRÆCOGNITA.

- I.  Medicina est scientia eorum omnium, quæ in cor-
pore humano ordinariè fiunt, aut extraordianriè
esse, vel fieri possunt.
II. Hacce ex definitione sequi videtur, medi-
cos rerum philosophicarum imperitos, ad capien-
dam experientiam plane ineptos esse.

E X A N A T O M I A.

- I. Accuratissimam requiri corporis humani fabricæ cognitio-
nem, ad hominem à statu sano deflectentem pristinæ
sanitati restituendum, negamus.
II. Resultus Epiglottidis, cum cibum deglutimus, per vim
Elasticam explicari potest.
III. Igitur tam anxie musculos depresso, levatoresque quæ-
rere non opus esse existimo.
IV. Uvulam esse plectrum vocis musicæve, nulla ratione
constat.
V. Verum eâ oblata aerem aliquo modo reflecti, haud
diffido.
VI. Mesenterium, omentum, ventriculum, non plures habe-
re membranas, quam tres sive duas, nullus Anatomicorum solide
haec tenus demonstravit.
VII. Ductus Pancreaticus biliferusque non semper concur-
runt, antequam intestinum Duodenum ingrediuntur.
VIII. Neque semper verum est, ductus hos inseri intestino
Duodeno.
- IX. Vasa

I N A U G U R A L I S.

5

IX. Vasa lactea in intestinis crassis non dari, quia ab Anatomis non inveniuntur, nego.

X. Verum tanta in copia dari vasa lactea quam in intestinis tenuibus, & etiam tam magna sive patula esse, non facile concederem.

XI. Basi cordis adhaerere copiosum adipem, autopsia satis docet.

XII. Verum necessario adipe isto opus fuisse, ne fibrillæ ex arescerent cordis, negamus.

XIII. Aorta rectâ lineâ non adscendit ad caput, sed cum ex corde egreditur facit aliquam repanditatem.

XIV. Ergo male dividitur in truncum adscendentem, & descendenter.

XV. Dantur arteriæ arteriarum.

XVI. Ad urinam propellendam, non opus est, ut substantia ureterum sit musculosa.

XVII. Nam illius propulsio, (quanquam ureteres tortuosæ incedant) per pressionem explicari potest.

E X T H E O R I A.

I. Separatâ materiâ, *Cartesio primi Elementi*, *Aristotel. vero etherea dicta*, concoctio ventriculi, effervescentia quæ fit in corde, imo prima digestio sive putredo, à nemine explicari potest, quanquam omnia cætera requisita adsunt.

II. Diversos cibos assumere uno convivio aliquando conductit, aliquando vero non.

III. Claudicat ergo proverbium istud, sanis omnia sana.

IV. Omnia quæ evomuntur, ex ventriculo ejici nego.

V. Verum quædam per vasa lymphatica venire, rationi consonum est.

VI. Flatus sive Borbyrigmi ex duplicatura mediastini provenire, nullâ ratione probari potest.

VII. Neque semper ex ventriculo proveniunt.

VIII. Non requiritur ad separationem chyli à fœcibus in intestinis effervescentia bilis, succique pancreatici.

6 DISPUTATIO MEDICA

IX. Hujus succi an præcipua vis sit acida, an vero salsa, sive alia, adhuc sub judice lis est.

X. Qualis est sanguinis, tales sunt humores ab eo separati.

XI. Sequitur ergo, lympham pancreaticam respectum habere ad sanguinem, quo ille est acidior, eo & lympha erit, & vice versa.

XII. Nutritio partium solidarum non sit rubicundo sanguine; sed chylo.

XIII. Ad quarum nutritionem, non indigemus omnis generis particularum.

XIV. Verum materia chylosa quasi indifferens reperit in omnibus partibus nostri corporis diversum fermentum.

XV. Nihilominus omnes particulae chylosae non eque aptae sunt ut transmutentur in os, cartilaginem &c. sed aliæ aliis aptiores.

XVI. Omnes homines post pastum refrigerescere falfissimum est, quanquam sine omni dubio cum chylus appellatur ad sanguinem, motus ipsius aliquo modo retardatur.

XVII. Quicunque statuit inflammationem ab imposito aliquo medicamento, certo certius sequuturam esse; ostendere videtur se naturam inflammationis non plane intelligere.

XVIII. Quæ tantum fortuita est, adeoque non ab intemperie dependens.

XIX. Causa inflammationis non est sanguis extravasatus.

XX. Verum sal potissimum poros suæ figuræ non accommodatos, obstruens non omnino, sed quadantenus, ut per reliquias eorum nil nisi materia ætherea fluere queat.

XXI. Medicamenta universalia dari respectu obstructionum affirmamus.

XXII. Quæ constant particulis volatilibus pungentibus atque ad latera scindentibus.

XXIII. Perit ex his ergo fundamentum specificorum.

XXIV. Præcipua respirationis, & expirationis organa sunt musculi abdominis, & diaphragmatis.

XXV. Non vero musculi thoracis, neque pulmones, attamen aliquid tribuere musculos thoracis, quanquam parvi sit momenti, non inficias ire possum.

XXVI. Men-

XXVI. Menses a sola multitudine sanguinis, quam obtendunt oriri non mihi videtur, quoniam multa animalia deberent hunc fluxum pati, imo viri ipsi & que ac foeminae.

XXVII. Virgines posse fœcundari, quanquam Lunæ tributum non solverint rationi non contrariatur.

XXVIII. Humidum qua humidum, in corpore sano superfluum peccare potest.

XXIX. Hinc facile elucesset, quam aberrant a via homines, qui se se quotidie bis, ter, imo quater ingurgitant ad gulam usque, potu Coffeè, Theè, qui mos est abominabilis, præfertim pro sexu fœmineo, qui suis passionibus magis indulgent virili sexu, stultæ honoris imaginarii captationis ergo.

XXX. Ex potu isto nimio, oriri posse, Hydropem, obstructions mensium, chlorosin, imo omnes morbos frigidos, petenti explicabo.

EX P R A X I.

I. **H**ydropis essentia consistit in obstructionibus, ruptionibusque vasorum lymphaticorum.

II. Hinc corruit differentia Hydropis a Baccho, vel Venere provenientis.

III. Nam una eademque est causa, una eademque curatio: nisi differret secundum maius & minus, hoc est respectu ruptionis vasorum lymphaticorum, & pertinacæ obstructionum.

IV. Nihilominus varium est, quodcumque jactant *Medici*, se habere remedium universale contra hydropem.

V. Hujus curatio non est aquarum eductio.

VI. Quæ si subito fiat, potius est acceleratio ad mortem.

VII. Nullam dari manifestiorem viam, per quam materia Hydropem constituens per alvum excerni queat, quam per Pancreas, non videtur.

VIII. Puto multo manifestiores vias esse per poros intestinorum vesicæ, superficie ventris, quanquam per illam difficillime fiet, propter membranas valde crassas ventrem obtegentes.

IX. Atque ex his puto constare certissime, solummodo educationibus aquarum, ope purgantis incumbendum non esse.

X. Vera

8 DISPUTATIO MEDICA

X. Vera Hydropis curatio consistit in eo , ut obstrunctiones sensim & pedetentim tollantur , vulneraque vasorum lymphaticorum consolidentur . Sensim & pedetentim dico , quia si subito fieret , vasa lymphatica magis rumperentur propter nimium impetum medicamenti adhibiti .

XI. Hoc autem velle peragere exsiccantibus medicamentis , est malum facere pejus alio .

XII. Neque nimis subtilibus uti debemus , ut croco , floribus .

XIII. Diabetis natura consistit in apertione nimia pororum ventriculi , intestinorum , vesicæ & ureterum .

XIV. Ergo per diaphoretica & sudorifera non est curanda .

XV. Verum potius per leviter adstringentia , & nimium impetum sanguinis sistentia .

XVI. Febris essentia consistit in turbata sanguinis mixtura , quæ semper non requirit intemperiem sibi comitem .

XVII. Hinc patet febres , non quoad essentiam differre ; verum gradu tantum .

XVIII. Per consequens omnes febres intermittentes possunt curari eodem medicamento , sed non eadem dosi .

XIX. Pars affecta melancholiæ Hypochondriacæ non est lien sed vasa lymphatica .

XX. Quod patet ex eo , quoniam ægri aliquando dolorem sentiunt in dextro Hypochondrio , aliquando in sinistro , aliquando vero & quidem sæpiissime circa umbilicum .

XXI. Præterea non audent locum affectum digito tangere præ nimiò dolore , quid sane in Liene non potest locum habere , qui non est pars acuti sensus .

XXII. Unde infero , veteres nunquam veram ipsius causam attingisse , per consequens ejus curationem .

XXIII. Quæ consistit in obstructionum reseratione , præcipue medicamentis externis .

XXIV. Legitima Diarrhææ & Dysenteriæ curatio , non est inchoanda a pungatione , nequè ab intempestiva vasorum adstrictione , nisi in casu valde præcipiti , in quo in initio potest adstrictio concedi , ut medicus lucretur sat temporis ad curationem recte instituendam , ne homo nimis subito fatis cedat .

XXV. Ni-

XXV. Nihilominus tamen ex nimia adstrictione, homines posse incidere in Melancholiam hypochondriacam, imo in Hydro-pem, fatemur: nam ex duobus malis minus est eligendum; adeo ut Cl. Vir. Celsi sententiam, nostram faciamus, dicentis, multa in præcipiti periculo fieri, quæ alias essent omittenda.

XVI. Phrenitidis natura consistit in partiali pororum menin-gum sive cerebri obstruktione, quâ sublatâ, phrenitis etiam tol-litur.

XXVII. Hujus curatio incipienda est a V. S., quæ si necessi-tas urgeat, reiterari potest. Ad obstruktiones in cerebro reser-andas, uti debemus potentî sudorifero.

XXVIII. In Phrenitide, oxyrrhodinis addere acetum licet, quanquam prima nocte ægri exinde magis delirant.

XXIX. Sic in Cardialgia ab acri sal. originem trahente, acida licet ægris propinare, quanquam etiam dolor inde augetur quam maxime.

XXX. Acetum ad obstruktiones quasdam reserandas, ineptum esse, rationi & experientiæ repugnat.

XXX. Opiatorum usum in phrenitide admittimus, modo vi-res ægri constant.

XXXII. Inter opiate præfero tincturam opii ope spiritus vini extractam, quæ pro sacra anchora est habenda, (si modo caveat sibi medicus ab excessu, alias esset culter in manu pueri: nam semper incipiendum est a minima dosi, nisi periculum sit in mora, tunc prudentis medici judicio id committi debet) ad quam in Phrenitide, Mania, nimiis doloribus, cæterisque morbis a nimio san-guinis impetu ortis, refugium sumi queat.

XXX. Ex pulsu solo (seclusis cæteris circumstantiis) velle dignoscere perfecte statum ægri, absurdissimum est.

XXXIV. Eadem nostra opinio est de inspectione urinæ, licet agyrtæ mendacitor populo obtrudunt, arbitrantes, se omnia posse ex urina colligere: non nego tamen, aliquid ex urina posse col-ligi; verum dico tantum, quod non temere ex inspectione urinæ (non consideratis circumstantiis) judicandum nobis sit de statu. ægri.

Dum Eruditissimus & Expertissimus
D. HENRICUS REINERS,
Emenso Medicæ facultatis studio pro Gradu Doctoratus
disputaret, ut intimè familiari cecinit

JOANNES BUEKEFOORT J.U.Q.S.

M Oeonis cessas dare Musa plectrum?
Festa adhuc tardas celebrare Clio?
Linque quas promptit volucris caballi
Ungula lymphas.

Cernis ut letâ facie renidens
Auream Phœbus vehat axe lucem;
Alma lux, semper niveo notari
Digna lapillo!

Surge, prelargam vocat ad coronam
Pallas, insignem meritis Amice
Lauream specta, subiturus omen
Scande Cathedram.

Laudis obtenta memor usque cresce,
Calcar ad laudes tua sit Tibi laus
Prima laus laudi solet insequenti
Addere calcar.

Syderum Præses dominusque terre
Annuat coepis; vaga Te per urbem
Te per & gentes radiante veltet
Gloria currus.

Numen annosum Tibi cedat avum,
Fata Te noriant, properentque Parcae
Nescium Carpi tibi destinatos
Stamen in annos.